

§. XXIII. Si verò *Latitudo Caudæ* æquat *Diametrum Capitis*, planè *Cauda occultatur*; sic ut tum *Cometa* penitus orbicularis, in-
star *Disci* appareat, atqve tum *totalis* accidit *Eclipsis Caudæ*.

§. XXIV. Constituto verò *Capite in Latitudine aliquâ Australi*, extra scilicet planum *Eclipticæ*, tunc *Cauda* quasi ab inferiore parte obtegitur, & à superiore parte particula quædam, quasi erecta, spectatur: contrarium rursus in *Latitudine Cometæ Boreali* deprehendes, nempe *Caudam* à superiore parte obtegi, & *particulam* videri à parte inferiore.

§. XXXV. Ex quibus abunde clarum est, quod etiam in ipsâ oppositione *Cometæ & Solis*, possit dari, ut ita loquar, *totalis*, etiam *partialis*, tam à superiore, quàm inferiore parte *Eclipsis Caudæ*.
ὄπερ ἔδει δεῖξαι.

CAPIT III,

De

MOTU COMETARUM.

§. I.

DEvenimus tandem ad *Motum Cometarum*, de quò totus fermè orbis (α.) hucusque sibi persuasit, eum adeò esse irregularem, ut non possit reduci sub certas *Leges*.

(α.) Ex iudicio *Domini Auzout*, Nobilis Galli in *Ephemeridibus Cometæ* anno 1664. visi; allegat. in *Actis Philosoph. Societat. Regiæ* in Angliâ p. 3. seq.

§. II. Multi multa de eo tradunt: Nos brevitati studentes digitum saltem intendemus.

§. III. Disputatur hîc imprimis *Utrum Cometarum motus curvilineus, aut rectilineus sit?* Hoc est: an *Cometæ* sic moveantur, ut motu suo describant *circulum* in *Mundi Sphærâ Maximum*, vel *maximo affinem*: an potiùs *per lineam rectam* descendant versus *Terram*, & sic in conspectum veniant; deinde ascendant sesequæ paulatim oculis mortalium subducant?

§. IV. *Seneca*, *Galileo*, *Keplero*, (β) *Gassendo*, *Glorioso*, (γ.) *Fromondo* (δ.) posterior: at *Peripateticis* & *Astronomis plerisque*, *Tychoni* item. & aliis prior sententia arridet.

(β.) In *Astronom. Optic.* c. 10. & in *Libris de Cometis* annor. 1607. & 1618.

D